

277. Unde inferes 1.^o Quid dicendum sit de hypothesi in qua eidem corpori Romæ ignis, hic vero applicaretur nix. «Respondeo uno verbo in hoc et similibus casibus, qui plures possunt excogitari, eodem modo se geret illud corpus in ordine ad diversa agentia in diversis locis applicata, ac si in eodem loco sibi applicarentur. Quare sicut si ignis et nix eodem loco applicaretur, partim caleferet, et partim infrigidaretur ita, ut tepidus maneret; sic ex igne et nive in diversis locis applicatis manebit utrobique tepidus. Ratio est, quia ex eo, quod ponatur corpus in duplici loco, non crescit ejus virtus activa vel passiva, et per consequens non magis potest habere simul formas contrarias, quam si esset in unico loco; repugnantia enim duarum formarum contrarium non est in ordine ad locum, sed in ordine ad subjectum, a quo præcipue se mutuo expellunt. Cum ergo utrobique sit idem subjectum, non poterit hic habere calorem intensum, et alibi frigus intensum» (1). Et hæc quidem valent, si Deus operetur connaturaliter ex suppositione miraculi replicationis. Quid dicendum esset, si Deus nollet transferre in alium locum mutationes in uno loco factas in hypothesi prædicta, in qua eidem corpori nix in uno et ignis in altero applicaretur; vide apud Cardin. De Lugo (2).

Inferes 2.^o Si formæ contrariæ ita opponantur, «ut nec de potentia absoluta possint esse simul in eodem subjecto in uno loco existenti, nec etiam posse se compati in eodem subjecto in diversis locis. Quare assensus et dissensus, amor et odium ejusdem objecti... non poterunt esse etiam in diversis locis: nec fieri poterit, ut Petrus hic credat aliquid, cui alibi expresse dissentiat. Repugnantia enim horum actuum, sicut et aliorum accidentium independentium a loco, non est, ut prædixi, in ordine ad eundem locum, sed in ordine ad idem subjectum; nam in eodem loco possunt esse assensus et dissensus ejusdem objecti in duobus angelis...» (3)

(1) Lugo. (ibid. num. 50). Cfr. Semery (loc. cit. in respons. ad Object. 3.^{am}).

(2) Ibid. num. 53 seqq.

(3) Lug. (loc. cit. num. 53). Cfr. Suarez (ibid. sect. 6, num. 8), Lossada (loc. cit. num. 35). Videri potest de tota hac re fuse dissertens P. Soarez lusitanus (loc. cit. disp. 1, sect. 5).

Et per hæc patet jam, quid respondendum sit ad postremam objectionem, cujus gratia quæstio hæc instituta est.

CAPUT II.

DE MOTU.

Frequentissima est apud priscos Philosophos summique momenti mentio ac tractatio motus. Motum passim meminerunt, cum de corporum operationibus loquuntur; per ordinem ad motum definiunt naturam ipsamque notionem vitæ; at conceptum motus longe latius patentem exhibent, quam recentiores multi, qui vix aliud nomine motus significant præter motum localem. Ad plenam ergo rei notitiam librorumque veterum intelligentiam, fusior de motu tractatio instituenda est (1).

ARTICULUS I.

Enucleatur conceptus motus.

278. Motus multifariam accipitur: 1.^o quidem largissime pro quavis operatione, sive corporea sive spirituali. Nam *quomvis motus proprie acceptus sit corporum, tamen nomen motus etiam ad spiritualia derivatur dupliciter. Uno modo secundum quod omnis operatio motus dicitur: sic enim et divina bonitas quodammodo (nempe improprie) movetur et procedit in res (2), secundum quod se eis communicat, ut Dionysius dicit (cap. 11 de divin. Nominibus, lect. 3). Alio modo desiderium in aliud tendens quidam motus dicitur (3).* Ratio

Varie motus
accepciones:
prima
largissima
et impropria.

(1) Utilitatem hujus tractationis fuse persequitur P. Benedictus Pererius (*de communibus omnium rerum naturalium principiis*, lib. 13 in proem.)

(2) Quem sensum expressit S. Augustinus (*de Gener. ad litter.* lib. 8, cap. 20 fin.) illis verbis: *Creator spiritus movet se (nempe operatur, nec per tempus nec per locum.*

(3) S. Thom. 1 p., quæst. 73, art. 2, corp. Cfr. 1 p., quæst. 18, art. 1, et art. 3, ad 1.^{am}; quæst. 19, art. 1, ad 3.^{am}; quæst. 50, art. 1, ad 2.^{am}; 1.^o *Contr. Gent.* cap. 13, post. 3.^{am} argum.; *de Verit.* quæst. 24, art. 1, ad 14.^{am}; *de Potent.* quæst. 10, art. 1; *de Anim.* lib. 2, lect. 1.

vero, cur nomen motus minus proprie ipsis actibus intellectualibus tribuatur, hæc esse potest: Nam quia... per sensibilia in cognitionem intelligibilia devenimus, operationes autem sensibiles sine motu non fiunt, inde est, quod etiam operationes intelligibiles quasi motus quidam describuntur (1), vel etiam ipsum intelligere et velle et amare motus quidam dicuntur (2), nec solum apud Scholasticos, sed etiam apud optimæ latinitatis auctores (3). 2.^o accipitur motus adhuc fusa acceptione, licet magis propria et frequenti pro quavis mutatione veri nominis: quo sensu motus cadere in Deum, utpote immutabilem prorsus, nequit; competit autem illi Motus in hac acceptione declaratus a nobis est in *Ontologia*, et dividitur in *generationem, corruptionem et motum physicum*, seu motum presse sumptum (4). 3.^o denique sumitur motus stricte ac propissime pro illa specie mutationis, qua ens ab uno termino *positivo* transit ad alium terminum *positivum*. Et hic est motus, quem *præcipue* in hoc articulo declarandum assumpsimus.

§ 1.—DECLARATUR ARISTOTELICA MOTUS NOTIO.

Definitur motus ab Aristotele: *actus entis seu existentis in potentia, prout in potentia* (5) Quæ definitio ut rite percipiatur, notat Angelicus (6), tria rerum genera posse considerari: etenim *aliquid est in actu tantum, aliquid vero in potentia tantum, aliquid vero medio modo se habens inter potentiam puram et actum perfectum. Quod igitur est in potentia tantum, nondum movetur; quod autem jam est in actu perfecto, non movetur, sed jam motum est. Illud igitur movetur, quod medio modo se habet inter puram potentiam et actum: quod quidem partim est in potentia et partim in actu, ut patet in alteratione. Cum enim aqua est solum in potentia calida,*

- (1) S. Thom. 2. 2. quæst. 180, art. 6.
 (2) S. Thom. 1. p. quæst. 9, art. 1, ad 1.^{am}
 (3) Vide v. g. Ciceronem, *de Oratore*, lib. 1, n. 23.
 (4) Cfr. *Ontolog.* num. 246, p. 700.
 (5) Ἡ τοῦ δυναμικοῦ ὄντος ἐντελέχεια ἢ τοῦ αὐτοῦ κίνησις ἐστίν.
 Lib. 3 *Physic.* cap. 1.
 (6) In 3.^{am} *Physicor.* lect. 2, paulo post init.

altera
minus lata,

tertia stricta.

Aristotelica
motus definitio
declaratur.

nondum movetur; cum vero jam est calefacta, terminatus est motus calefactionis; cum vero jam participat aliquid de calore, sed imperfecte, tunc movetur ad calorem, nam quod calefit (se est calefaciendo), paulatim participat calorem magis ac magis. Ipse igitur actus imperfectus caloris in calefactibili existens, est motus; non quidem secundum id, quod actu tantum est, sed secundum quod jam in actu existens, habet ordinem in ulteriorem actum; quia si tolleretur ordo ad ulteriorem actum, ipse actus, quantumcunque imperfectus, esset terminus et non motus, sicut accidit, cum aliquid semiplene calefit. Ordo autem ad ulteriorem actum competit existenti in potentia ad ipsum. Et similiter, si actus imperfectus consideretur tantum ut in ordine ad ulteriorem actum, secundum quod habet rationem potentie, non habet rationem motus, sed principii motus; potest enim incipere calefactio, sicut a frigido, ita a tepido...

Itaque motus dicitur primo *actus*; per quam vocem excluditur a ratione motus quidquid nullo modo est actus, ut materia prima. Nam *id, quo aliquid fit actu, prius existens in potentia, est actus. Sed aliquid fit actu, dum movetur, prius adhuc in potentia existens. Ergo motus est actus* (1). Idque illustratur exemplo. *Quia edificabile dicitur potentiam ad aliquid. Cum autem edificabile secundum hanc potentiam, quam importat (nimirum ad ædificationem) reducitur in actum, tunc dicimus, quod edificatur (se est edificando), et iste actus est edificatio passiva. Et similiter est de omnibus aliis motibus, sicut doctrinatio, etc.* (2) Ad meliorem itaque hujus rei intelligentiam duplex distingui potest actus: alter *imperfectus* vel incompletus, alter *perfectus* vel completus. Actus perfectus ita subjectum actuat, ut illud non relinquat in via, fluxu seu tendentia in ulteriorem actum: unde actus ejusmodi in proprio subjecto sistit, ac terminatus est, quin excurrat, ac progrediatur ad formam receptam amplius perficiendam. At vero e converso actus imperfectus ita subjectum actuat, ut

Quid actus
perfectus
et imperfectus

- (1) S. Thom. (3.^o *Physicor.* lect. 2). Vide Suarez [disp. *Metaphys.* 49, sect. 2, num. 9].
 (2) S. Thom. 3.^o *Physic.* lect. 2, parag. c, cum Arist. *ibid.* Cfr. lib. 11.^o *Metaphysicor.* lect. 9, parag. c.

Illud constituat in fluxu progressuque ad ulteriorem termini accepti perfectionem. Motus ergo est ejusmodi actus imperfectus (1).

Dicitur secundo motus actus *existentis in potentia*. *Omnis enim actus ejus est proprie actus, in quo semper invenitur: sicut lumen nunquam invenitur nisi in diaphano, et propter hoc est actus diaphani. Sed motus semper invenitur in existente in potentia. Est igitur motus actus existentis in potentia* (2). Impossibile quippe est moveri illud, quod actu perfectum sit et in actu. Additur tandem in definitione, *prout in potentia vel secundum quod hujusmodi*. Quia motus non est actus perfectus, sed imperfectus, ut notavimus. Quod ut melius intelligas, revoca in mentem actui respondere potentiam, et sicut duplex esse potest actus subjectum actuans, alter imperfectus, alter perfectus, ita vicissim subjectum in duplici potentia versari posse. Nam *antequam aliquid moveatur, est in potentia ad duos actus, scilicet ad actum perfectum, qui est terminus actus, et ad actum imperfectum, qui est motus. Sicut aqua antequam incipiat calefieri, est in potentia ad calefieri, et ad calidum esse. Cum autem calefit, reducitur in actum imperfectum, qui est motus, nondum autem in actum perfectum, qui est terminus motus, sed adhuc respectu ipsius remanet in potentia* (3). Quare motus essentialiter est ens quoddam imperfectum. Totam istam doctrinam breviter sic complexus est S. Damascenus: *Motus est actus ejus, quod est in potentia, quatenus est in potentia. Velut aes potentia statua est. Aes quippe statuae formam potest suscipere: aris itaque quod potentia statua est, in eo actus positus est, ut dissolvatur, et formetur, et expoliatur: quae omnia sunt motus* (4).

Probat bonitas hujus definitionis. Quia motus est medium quiddam inter posse moveri, et motum jam fuisse, nam res pure *mobilis* nondum movetur, neque res jam perfecte *mota*, adhuc versatur in motu, seu *movetur* (se est moviendo).

Probat
aristotelica
definitio.

(1) Cfr. Fonseca, *Metaphysic.* libr. 9, cap. 6, in expositione textus h et n.

(2) S. Th. 3.^a *Physic.* lect. 2, paragr. d.

(3) 3.^a *Physicor.* lect. 2, paragr. c. Cfr. *ibid.* lect. 2.^a initio; et *Metaphys.* lib. 11, lect. 9, paragr. e.

(4) S. Joann. Damascen., *Dialect.* cap. 61.

Sed tunc proprie vereque *movetur*, cum incepti quidem habere actum alicujus formæ, licet nondum perfectum ac terminatum, sed inchoatum tantummodo, ac tendit ad illam magis magisque accipiendam. Atqui id exprimitur per allatam definitionem, quemadmodum satis jam explicatum manet. Ergo... Sic quid est me loco *moveri*, seu esse in motu ad templum? Non est solummodo me *posse moveri*, neque me *motum esse*, sed me tendere, esse in via ad assecutionem termini illius. Unde antequam movear, nullum habeo actum, sed solam potentiam; cum sum in termino, jam nullam habeo potentiam respectu illius, sed sum in actu perfecto. Cum vero *moveor*, partim sum in actu, partim in potentia (1).

Hinc explicatur altera definitio a Philosopho tradita, qua motus dicitur *actus mobilis*, in quantum mobile (2). *Hæc enim definitio*, inquit S. Thomas, *concluditur ex præmissa, Quia enim motus est actus existentis in potentia, in quantum hujusmodi; existens autem in potentia in quantum hujusmodi, est mobile, non autem movens, quia movens in quantum hujusmodi, est ens in actu; sequitur, quod motus sit actus mobilis in quantum hujusmodi* (3).

Altera
definitio motus
ab eodem
Philosopho
tradita.

In idem recidit tandem tertia ejusdem Philosophi definitio, qua motus dicitur *actus ejus, quod facere, et pati potest, quatenus tale est* (4). Adverte enim, sicut motus esse non potest absque mobili, in quo fiat ita etiam esse nequit absque movente seu motivo, a quo fiat. Unde motus non solum est actus mobilis, sed etiam moventis; quamquam diversimode. Est enim actus mobilis, tamquam existentis in potentia *passiva, in qua suscipiatur*, et est actus moventis, tamquam existentis in *potentia activa, a qua fluat*. Et quemadmodum non ideo aliquid *movetur* formaliter,

Tertia
Stagirite
definitio motus.

(1) Vide S. Th., lib. 2.^o *Physic.* lect. 3 initio; et lect. 5, par. i. Cfr. 11.^a *Metaphysic.* lect. 9, paragr. h.

(2) Κίνησις ἐντελέχεια τοῦ κινήτου, ἢ κινήτου. Aristu lib. 3, *Physicor.* cap. 2 in fin.

(3) S. Thom. (3.^o *Physic.* lect. 4 initio). Cfr. Mauri (Commentar. in 3.^{am} *Physicor.* cap. 3 text. 17).

(4) Η' (ἐντελέχεια) τοῦ δυνάμει ποιητικοῦ καὶ παθητικοῦ, ἢ τοῦ κινήτου. Arist., 3.^o *Physic.* c. 3, in fin.

quia *potest* actum aliquem imperfectum suscipere, nec quia perfectum actum suscipit, sed quia suscipit actum imperfectum, qui ulterius ordinatur ad actum perfectum, ita quoque *aliquid movere* formaliter non dicitur solum, quia *potest* actum exerere, aut quia jam *exeruit*, sed quia ita ponit actum, ut illum pergat ulterius ponere usque ad complementum: quando enim nondum ponit actum, non *agit* (está haciendo), sed solum *potest* agere, quando vero actum complevit, ac perfecit, similiter non *agit*, sed jam *egit*. Hæc ergo postrema definitio motum et *active* et *passive* declarat; active quidem, dum dicitur esse motus actus petentis agere, quatenus tale; passive autem dum dicitur esse actus potentis pati, quatenus tale. Itaque docet Aristoteles aliis verbis, motum esse actum, quo agens generatim formam aliquam producit in passo, et quo passum eandem suscipit. «Hac de causa, inquit Joannes Ulloa, invaluit apud Philosophos appellare hujusmodi actiones motum. Et metaphora non est impropria: tametsi enim solus motus localis sit simpliciter motus in phrasi latina, verumtamen cum in his frequentibus operationibus per actionem agentis in passo transeat hoc a non habendo terminum illum, qui producitur, ad habendum illum, et agens quoque transeat a non producendo ad producendum illum sicut mobile transit per motum localem ab uno loco ad alium producendo præsentiam sui in alio loco, ut multi volunt; ideo non sine fundamento actiones illæ dicuntur *motus*» (1). Vide tres has definitiones egregie inter sese comparatas apud P. Benedictum Pereira (2).

Ex præjecta declaratione sequitur, actus intentionales potentiarum intellectualium ac sensitivarum non comprehendit allata motus definitione (3). Nam motus est actus entis in potentia prout in potentia, talis nempe, qui natura sua sit fluxus, via et tendentia ad ulteriorem terminum. Atqui

(1) *Philosophia speculativa*, t. 2.^o disp. 4, c. 1, n. 2.

(2) Oper. cit., lib. 13, cap. 5, n. 3.

(3) Ita Aristoteles (3.^o de *Anim.*, text. 22) et S. Thomas (3.^o de *Anima*, lect. 12; et 1.^o p., q. 18, a. 1; 1.^o p., q. 9, a. 1, ad 1.^{am} alique.

Cur actioni
et passioni
nomen factum sit
motus.

Actus
potentiarum
intellectualium
et sensitivarum
cur non sint
proprie motus.

non sunt hujusmodi actus intentionales potentiarum intellectualium et sensitivarum, cum non ordinentur ad alium terminum producendum, sed sint actus ultimi in se sistentes et quiescentes, ut per se patet. Ergo... Paulo aliter probat rem hanc S. Thomas cum Aristotele ex eo, quod motus physicus est *actus existentis in potentia*; quia *videlicet recedens ab uno contrario, quamdiu movetur, non attingit alterum contrarium, quod est terminus motus, sed est in potentia. Et quia omne, quod est in potentia, in quantum hujusmodi, est imperfectum, ideo ille motus est actus imperfecti. Sed iste motus (actuum intentionalium) est actus perfecti; est enim operatio sensus jam facti in actu per suam speciem. Non enim sentire convenit sensui nisi in actu existentis; et ideo iste motus simpliciter est alter a motu physico* (1). Discursus habet quidem speciem quamdam motus, non tamen esse motum proprie physicum vide, si lubet, apud P. Benedictum Pereira (2).

Utrum autem allata motus notio conveniat quibusvis mutationibus physicis, per quas forma aliqua in subjecto efficiatur, sive successivæ illæ sint, sive instantaneæ, controversit inter veteres. Negant de instantaneis Sotus (3), Pererius (4), Conimbricenses (5), alique, eo innixi argumento, quod mutationes momento peractæ reapse non sunt actus entis in potentia prout in potentia, quia non relinquunt subjectum in potentia et via ad ulteriorem actus receptionem, quandoquidem statim terminantur ac sistunt. Verum S. Thomas (6), Toletus (7), Rubius (8), Suarez (9), Complutenses (10),

Utrum
allata motus
notio competere
possit etiam
mutationibus
physicis
instantaneis,
disputatur.

(1) S. Thom., (de *Anim.*, lib. 3, lect. 12 initio) cum Aristotele (ibid. text. 22). Cf. Complutens. (*Physicor.*, disp. 16, quæst. 2, num. 14), Card. Aguirre (*Physic.*, disp. 19, sect. 1). Vide etiam S. Thomam. (1. 2, quæst. 31, art. 2 ad 1.^{am}; de *Verit.* quæst. 28, art. 9 ad 1.^{am}; 4.^o dist. 17, quæst. 1, art. 5, solut. 3.^a ad 1.^{am}).

(2) *De communibus* etc., lib. 13, cap. 5, num. 6.

(3) *Physicor.*, lib. 3, quæst. 1.^a

(4) *De communibus* etc., lib. 13, cap. 5, num. 9 et cap. 8.

(5) *Physicor.*, lib. 3, cap. 1 et 2, quæst. 1, art. 1 fin.

(6) 3.^o *Physic.*, lect. 2, paragr. b in fine; et lib. 5, lect. 2 initio; et in 3.^{am} *Physic.*, c. 3, q. 1.

(7) In 5.^{am} *Physic.*, quæst. 1 in prenot. ante 1.^{am} conclus.

(8) 5.^o *Physic.*, quæst. 2.

(9) *Metaphys.*, disp. 49, sect. 2, num. 10.

(10) Op. cit. ib. disp. 49, quæst. 2, n. 16 seqq.

Ioannes a S. Thoma (1), Mastrius (2), Pontius (3), et alii, volunt prædictam definitionem complecti sub se mutationes omnes physicas vel naturales, sive successivas, sive etiam instantaneas. Quorum sententia probabilior videtur.

sed
affirmandum
videtur.

Et ratio est, quia «*motus*, ut explicat S. Doctor (4), *dicitur actus entis in potentia, ut per hoc, quod dicitur actus, designetur ordo ejus ad præcedentem potentiam: et per id quod dicitur in potentia existentis, designetur ordo ejus ad ulteriorem actum*. Sed totum hoc convenit generationi substantiali (quæ momento peragitur, postquam subjectum præcedentibus alterationibus ultimo disponitur ad novæ formæ perductionem) necnon et aliis mutationibus instantaneis jam dictis. Ergo et definitio motus».

«**Probatur Minor.** Quia quando generatio v. g. ignis intelligitur *in fieri*, intelligitur subjectum in actu per generationem, ut ex se patet, et in potentia respectu termini *ad quem*. Nam in illo priori non intelligitur subjectum sub forma geniti: alioqui non conciperetur generatio in illo priori solum *in fieri*, sed in *perfecto esse*, cum tamen licet simul sint ibidem *fieri* et *factum esse*, nihilominus prius debeamus intelligere *fieri*, quam *factum esse*, quia *factum esse* attingitur per ipsum *fieri*. Ergo in illo priori intelligitur subjectum esse aliquo modo in potentia ad terminum ad quem» (5). Brevi, mutatio physica, quantumvis momentanea, est actio quædam, qua terminus acquiritur subjecto: quare est via quædam ad illum. Et sic subjectum, quod mutatur, ante mutationem concipitur in potentia ad duplicem actum, ad actum nempe formalis mutationis et ad terminum ejusdem. Mutatio proinde est actus quidam imperfectus natura sua tendens ad terminum ulteriorem, tamquam via ad illum habendum (6). Ex quo etiam præoccupata manet ratio adversariorum. Et hinc est, quod Aristoteles traditam definitionem confirmat exemplis actionum, quæ non

(1) *Physic.*, quæst. 14, art. 1.

(2) *Physic.*, disp. 15, quæst. 5.

(3) *Physic.*, lib. 3, disp. 13, quæst. 1, conclus. 1.^a

(4) S. Thom. *Physicor.*, lect. 2 initio.

(5) Complutenses, loc. cit., num. 18. Cfr. ib. num. 18.

(6) Vide Rubium, egregie id declarantem (loc. cit. num. 18-21).

sunt motus strictissimo sensu, sed mutationes substantiales instantaneæ, qualis est generatio et corruptio (1).

Motui opponitur quies, quæ nihil est aliud, quam privatio motus vel carentia motus in subjecto apto: et privative opponitur motui in termino *a quo*. Sic calefactioni, quæ est motus ex frigore ad calorem, opponitur quies in frigore, et frigectioni, quæ est motus a calore in frigus, opponitur quies in calore. Verum de his plura dabit Aristoteles cum suis Commentatoribus (2).

Quid
quies opposita
motui.

Adversus declaratam hactenus motus definitionem.

Quædam
difficultates
solutæ.

279. **Objic. 1.^o** Motus essentialiter implicat relationem tum ad agens, tum ad passum, tum ad terminum *a quo*, tum ad terminum *ad quem*; ea vero minime exprimitur in allatâ definitione. Ergo rejicienda illa est.

Resp. dist. Minor. explicite, *trans.*; implicite, *neg.* Et ratio patet ex dictis. Nam ibi aperte satis indicatur passio; ubi vero exprimitur hæc, etiam implicite significatur actio. Et idem dicatur de terminis.

Objic. 2.^o Forma quoque substantialis est actus entis in potentia, quatenus in potentia, quia est actus materiæ, quæ est potentia; et solum prout est in potentia, est subjectum aptum illi recipiendæ. Atqui tamen forma substantialis non est motus.

Resp. dist. Major. Forma est actus entis in potentia, ita nimirum illud actuans, ut constituat in statu viæ ac tendentiæ ad terminum, *neg.* Est actus actuans instar actus perfecti, *conc.* Quævis enim forma substantialis complet, ac terminat potentialitatem materiæ, dum e converso motus mobile non ita complet, ac terminat, sed solum actuat, reponendo illud in tendentiâ versus terminum.

Instabis. Dantur aliquæ formæ viales atque imperfectæ et ex sese ordinatæ ad aliarum formarum introductionem. Itemque dantur qualitates in gradu remisso, quæ subjectum relinquunt in potentia ad ulteriorem ejusdem perfectionem, puta calor modicus aquæ. Ergo saltem ejusmodi formis omnino accommodari potest exposita definitio.

(1) Plura dabunt Rubius, et Complutenses, et Cardia. Aguirre.

(2) *Physicor.* lib. 5, cap. 6.

Resp. eodem modo. Omnes enim hæ formæ qualitatesque, quantumvis sint viales atque imperfectæ, sunt veri actus perfecti in sensu, in quo nunc loquimur, cum sint entitates ita in se terminatæ, ut careant tendentia fluxuque ad ulteriorem ejusdem actus terminum et complementum. Ubi autem abest ejusmodi tendentia, deest quoque ratio motus.

Objic 3.^o Saltem definitio ista videtur ad amussim quadrare in passionem. — Respondeo motum, actionem et passionem re unum idemque esse, quemadmodum mox probabimus. Ratione tamen aliquo modo distinguuntur; quia actio importat et exprimit processum vel fluxum ab efficiente vel movente, passio receptionem in subjecto seu mobili, motus vero ipsum actum imperfectum, qui est via ad ulteriorem perfectiorem actum. Definitio ergo prædicta motus significat quidem eandem rem, ac passio, non tamen secundum propriam passionis formalitatem.

Motus
physici ratio
magis
enucleatur.

280. Jam si verum est, quod cum S. Thoma tamquam probabilis adstruximus, declaratam motus definitionem posse sub se complecti non solum motum stricte ac proprie dictum, sed etiam mutationem, quæ latius illo patet, enucleanda magis est peculiaris ratio motus physici. Revoca ergo in mentem id, quod jam in *Ontologia* explicatum manet, mutationem, seu motum fusiùs sumptum in secunda acceptio-nis initio præmissarum, dividi posse ratione termini in *generationem*, *corruptionem* et *motum physicum* stricte sumptum (1). Et ratio est, quia cum omnis mutatio sit a quodam in quidam, ut manifestatur ex ipso mutationis nomine, quod denotat aliquid esse post aliud, et aliud esse prius, aliud posterius (2); tot species habeat, necesse est, quot modis contingere potest per se ejusmodi transitus. Hi autem sunt tres. Vel enim mutatio fit a non subjecto in subjectum, id est a termino negativo ad positivum seu affirmatum, nam per subjectum intelligit hic Philosophus omne id, quod affirmative significatur (3); et habetur *generatio*, quæ est mutatio de non esse ad esse.

(1) *Ontolog.* num. 246 pag. 700.

(2) S. Thom., 5.^o *Physicor.* lect. 2 paragr. 4.

(3) S. Thom. *ibid.*

Et potest esse duplex, *simpliciter* et *secundum quid*. Illa terminatur ad substantiam, ideoque vocatur *generatio simpliciter*; quia tum dicitur aliquid simpliciter transire de non esse ad esse, quando substantia generatur. E converso cum aliqua substantia solum accidentaliter mutatur, ut si paries ex non albo fiat albus, nequit dici transire de non esse in esse *simpliciter*, quia jam prius erat actu, sed in esse tale: nimirum non fit simpliciter, sed fit tale. Quod enim mutatur, proprie subjectum est, subjectum autem albi est aliquid ens actu (1). Vel secundo mutatio fit a subjecto in non subjectum, id est, a termino affirmato vel positivo ad negativum; et aderit corruptio, quæ proinde est mutatio ab esse in non esse: et potest pariter esse duplex, *simpliciter* et *secundum quid*, sicut generatio. Tandem mutatio alia potest esse a subjecto in subjectum, seu ab uno termino positivo et affirmato ad alium positivum, ut v. g. mutatio ab albo in nigrum et a dulci in amarum; et vocatur *motus* stricto sensu. Divisionem porro istam adæquatam esse, probatum habes in *Ontologia*, ubi plura require (2). Aliæ quoque motus ac mutationis divisiones hic indicari possunt, ac nominatim illa in instantaneum et successivum, quam in prædicto loco *Ontologiæ* declaratam habes. Dividitur etiam motus in naturalem et violentum ac neutrum: quæ divisio desumitur ex habitudine subjecti recipientis ad formam motu receptam: nam vel naturaliter inclinatur ad illam, et habetur motus naturalis; vel potius naturaliter reluctatur, et obtinet motus violentus; vel demum neutro modo se habet, et tunc motus dicitur neuter (3): de quibus divisionibus videri potest Mastrius (4). Denique moveri aliquid potest vel *per se*, vel *per accidens*. Per accidens contingit moveri aliquid, vel quia inest ei, quod movetur, sive ut accidens sive ut locatum in loco, vel quia movetur pars ejus. Sic sanato homine, *musicus* sanari dicitur, quia homini accidit esse musicum: et mota navi vel curru, movetur per accidens homo, qui eo vehitur, et anima

Generatio
simpliciter
et secundum
quid:

corruptio
simpliciter
et secundum
quid.

Varie divisiones
motus.

(1) S. Thom. *ibid.* paragr. d.

(2) *Loc. cit.*, pag. 700 seqq.

(3) *Cfr.* quæ superius scripta sunt num. 188-191.

(4) *Physic.* disp. 15, quæst. 6, art. 2.

etiam movetur moto corpore: denique homo dicitur percussus, percussa ejus manu. Per se movetur, quod movetur ratione sui.

§ II.—ACCURATIOR MOTUS PHYSICI STRICTE SUMPTI EXPLICATIO.

Qualis sit motus physicus stricte sumptus:

281. Motus itaque stricte sumptus, de quo solum nunc est agendum nobis, est tertia hæc mutationis species, nempe mutatio de subjecto in subjectum vel de uno termino affirmato aut positivo ad alium affirmatum vel positivum, v. g. a frigore ad calorem, vel ab uno in alium locum. Hujus motus illud est a) primum attributum, quod subjectum recipiens illum debeat esse ens actuale seu substantia completa. Etenim quod movetur jam est, quod enim non est, moveri proprie nequit: itemque quod proprie movetur, non desinit esse id, quod prius erat substantialiter. Atqui id quod jam erat ante motum, nec per motum substantialiter mutatur, est ens aliquod actuale. Ergo... Quamobrem vides jam primam differentiam inter hunc motum strictum et generationem ac corruptionem. Generatio enim terminari potest ad substantiam, nempe generatio substantialis, cujus proinde subjectum non est ens completum, sed materia prima, nam quod simpliciter generatur, nondum est, sed fit ipsa generatione; immo si jam esset, non posset simpliciter generari. Et similiter distinguitur motus a corruptione, quæ potest etiam esse substantialis (1).

motus physicus versatur inter extrema contraria.

β) Secundo motus versatur inter extrema contraria, ut nuper observavimus. Contraria porro hic intelliguntur non modo stricte talia, quæ nimirum sub eodem genere maxime opponuntur, sed etiam media. Quia etiamsi quid moveatur ex medio versus alterutrum extremum maxime dissitum, v. g. ex medio aliquo colore ad album vel nigrum, ex sono medio ad gravem aut acutum, non desinit vere mutari de subjecto in subjectum, seu a termino positivo ad positivum (2) «Ratio, cur mutatio possit dari etiam a mediis est,

(1) Vide de his S. Thom., 5.^a Physicor., lect. 2, paragr. f., cum Arist. ib., et lect. 3, paragr. b. Vide etiam Toletum, Comment. in 5.^{am} Physic. cap. 1, text. 8, et quest. 1.

(2) Vide S. Thom., 5.^a Physic., lect. 1, paragr. m, cum Aristotele ibid. Quin etiam notant iidem motum versari quoque posse inter

quia cum medium quodammodo sit utrumque extremum; in quantum est unum extremum, est contrarium alteri: ex. gr. vox media inter gravem et acutam, respectu gravis est acuta, respectu acutæ est gravis: color fuscus respectu nigri habet rationem albi, respectu albi, habet rationem nigri...» (1) En alterum discrimen inter motum et generationem ac corruptionem: hæc namque versantur inter terminos contradictorios. Unde in uno motu duplex adest mutatio, altera corruptiva per abjectionem positivi termini a quo, altera generativa per acquisitionem novi termini ad quem. Id quod egregie docet Angelicus: *Dicendum, quod differentia est inter motum et mutationem, nam motus unus est, quo aliquid affirmative significatum abjicitur, et aliud affirmative significatum acquiritur. Est enim motus de subjecto in subjectum, ut dicitur in 5.^a Physic. Per subjectum autem intelligitur hoc aliquid affirmative nonstratum, ut album, nigrum. Unde unus motus alterationis est, quo album abjicitur, et nigrum acquiritur. Sed in mutationibus, quæ sunt generatio et corruptio, aliter est; nam generatio est mutatio de non subjecto, ut de non albo in album, corruptio vero est mutatio de subjecto in non subjectum, ut de albo in non album. Et ideo in abjectione unius affirmati et ademptione alterius, oportet duas mutationes intelligi, quarum una sit generatio, et alia corruptio, vel simpliciter vel secundum quid. Sic ergo si in transitu, qui est de albedine in nigredinem, consideretur ipse motus, idem motus figuratur per ablationem unius et introductionem alterius, non autem significatur eadem mutatio, sed diversæ, tamen se invicem concomitantes, quia generatio unius non est sine corruptione alterius (2).*

In omni motu proprie dicto duplex adest mutatio.

γ) Præterea motus est successivus. Etenim cum sit inter extrema contraria, ideoque latitudinem aliquam atque interpositam distantiam habentia, absolvi perficique nequit, nisi transeundo per medium successive. Et sic in ipso perfectissime locum habet ratio illa *actus entis in potentia prout in*

Motus magis proprie sumptus successivus est.

extremum privativum et positivum, modo illud non negative, sed affirmative, significetur, v. g. nudum. Vide ibid. lect. 2, in fine.

(1) Mauri, Comment. in 5.^{am} Physic. cap. 1, text. 6. Et vide Arist. et S. Thom. ib.

(2) S. Thomas, de Verit., quest. 28, art. 1.

potentia, per quam motus definitur; est enim actus non purus, sed potentia admixtus, actus qui non est totus simul, sed partim est, partim fuit, et partim erit. Quomodo autem successio motui conveniat, inferius dicitur articulo hujus capituli quinto. Atque hoc est tertium discrimen motum inter ac mutationem, quæ potest esse instantanea, nimirum in generatione et corruptione substantiali (1).

et continuus.

2) Præterea motus est continuus, id est fluit absque mora et interruptione versus terminum, donec illum fuerit assecutus. Nam ubicumque abruptitur jugis hic fluxus et progressio, adest quies et permanentia; ubi vero quies adest, cesset motus, necesse est. Dum enim sistit mobile, nequit dici *moveri*, sed *motum esse*, si forte motus aliquis præcessisset (2). Ad rem S. Thomas: *Dicendum, quod in motu proprie accepto est duo reperire, scilicet habet continuitatem, sic proprie mensuratur per locum, quia ex continuitate magnitudinis est continuus motus, ut dicitur 4.^o et 5.^o Physicorum (4.^o text. 99; 5.^o text. 39); secundum autem, quod habet successione, sic proprie mensuratur per tempus: unde tempus dicitur numerus motus secundum prius et posterius (3). Quod porro detur in rerum natura motus vere continuus, videtur probari experientia ipsa in motu locali gravium, contra quosdam, qui posuerunt omnem motum morulis esse interruptum. Gravia enim constanti ac necessaria vi urgentur, nec intelligi potest quomodo quiescant in suo præcipiti cursu. In aliis motibus res controvertitur in utramque partem, quamvis communior sit sententia affirmans (4).*

(1) Hæc porro intelligenda sunt de generatione ac corruptione formali, de ipsa nimirum inceptioe et desitione substantialiter essendi. Si enim generatio accipitur ipsa inceptio essendi cum toto motu præcedente, cujus est terminus, sic non est in instanti, sed in tempore, ita quod in toto tempore præcedenti est non ens illud, quod generatur, et in ultimo instanti est ens. Et similiter dicendum est de corruptione. S. Thom. 6.^a Physic., lect. 8, paragr. f, in fine.

(2) Cfr. Conimb. in lib. 3.^{um} Physic., cap. 2, quæst. 2, art. 1, et Benedict. Pereira (lib. 14, cap. 6).

(3) S. Thom., 1.^o dist. 8, quæst. 3, artic. 3.

(4) Vide Suarez (*Metaphys.*, disp. 46, sect. 3, a num. 6), Rubium (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, cap. 4, tract. 3, quæst. 2), Toletum (*de Gener. et corrupt.*, lib. 1, quæst. 6), et Benedictis (*Physic.*, lib. 4,

Jam ex successione et continuitate motus tria colliguntur: 1.^{um}) Id quod *moveretur* seu est in *fieri* motus, jam motum est, et porro *movebitur*: 2.^{um}) quare nequit in ipso assignari nec primum nec ultimum sui *esse* intrinseci, sed tantum primum atque ultimum sui *non esse*: 3.^{um}) ac proinde motus neque incipit, neque desinit intrinsece, sed tantum extrinsece: nimirum incipit per ultimum sui *non esse*, ac desinit per primum sui *non esse* (1).

Corollaria quedam.

282. Motum reale quiddam esse nemo sanus diffitebitur: quærat autem forte quispiam, ad quod prædicamentum pertineat, omnis enim finita realitas ad aliquod prædicamentum revocatur, saltem aliquo modo. Verum ut jam in *Ontologia* notatum reliquimus (2), res in prædicamento constitui potest, vel directe, vel indirecte, vel etiam reductive. Et motus quidem, utpote actus imperfectus ensque incompletum, nequit speciale aliquod constituere prædicamentum, nec directe collocari sub aliquo ex decem vulgatis rerum generibus. Sed neque indirecte, cum non sit differentia ullius generis divisiva. Restat ergo, ut reductive revocetur ad prædicamentum ipsius termini *ad quem*, cujus termini motus est *via et fieri*. Sic motus localis revocatur ad prædicamentum *Ubi*, et motus augmentationis ad quantitatem, alterationis, ad qualitatem. Apposite S. Thomas: *Omne quod est imperfectum, sub eodem genere cadit cum perfecto: non quidem sicut species, sed per reductionem, sicut materia prima est in genere substantiæ (3). Et hæc quidem vera sunt, si motus consideretur formaliter, prout ab actione ac passione secernitur. Quod si consideratur per respectum ad id, a quo procedit, et ad id, in quo subjectatur, quemadmodum sub hac contemplatione*

Ad quod prædicamentum revocandus sit motus.

quæst. 2, cap. 3), Joann. a S. Thoma, (*Physic.*, part. 2, quæst. 3, art. 3), Complutenses (*De Gener. et corrupt.*, disp. 2, quæst. 10), Lossada (*De Gener. et corrupt.*, disp. 3, cap. 5), Matrium (*de Gener. et corrupt.*, disp. 3, quæst. 5).

(1) Verum hæc magis declarabuntur inferius, ubi de inceptioe ac desitione rerum: nunc innuisse sufficiat.

(2) Vide num. 272, pag. 787.

(3) S. Thom. 3.^o Physic. lect. 1, paragr. d. Cfr. 5.^a Physic. lect. 3, initio; de *Potent.* quæst. 3, art. 3, ad 8.^{um}; 3.^a p., quæst. 62, art. 4, ad 2.^{um}

motus cum ipsa actione et passione identificatur, ita ad hæc quoque prædicamenta revocari debet, Angelico docente: *Secundum autem, quod motus consideratur, ut est in hoc ab alio, vel ab hoc in aliud, sic pertinet ad prædicamentum actionis et passionis* (1).

ARTICULUS II.

An et quomodo motus distinguatur
a mobili ac termino?Status
questionis

283. Post expositam motus notionem, erit forte quispiam, qui quærat, quid tandem reipsa sit motus. In motu enim plura concurrunt, videlicet causa movens, mobile, quod movetur, terminus duplex, a quo et ad quem, ac tempus: quibus in motu locali addi debet spatium seu medium, in quo motus peragitur. Queritur ergo, num motus sit aliquid istorum, an aliud quidpiam. Et difficultas præcipue versatur circa identitatem aut distinctionem motus a mobili ac termino ad quem. Motus namque certissime differt a movente, ut patet: differt etiam a termino a quod, illi enim repugnat, cum motus esse non possit, quin ab eo recedatur. Differt a tempore, quod est mensura durationis ejus, sicut etiam differt tandem a spatio et medio, in quo exercetur. Existimavit porro Cartesius (2) nihil aliud revera esse motum, quam corpus ipsum mobile. Eaque sententia non paucis recentioribus arrisit, docentibus motum esse modum quemdam corporis, seu modificationem ab ipso realiter indistinctam (3). Sunt vero alii, qui motum cum termino ad quem identificari vellent. Ajunt enim, eos non aliter discriminari, nisi tamquam duos modos ejusdem realitatis; motum enim esse ipsum terminum ac formam, quæ acquiritur, prout fluentem, et ab esse imperfecto ad perfectum procedentem (4).

(1) 5.^o *Physic.*, lect. 3, initiô. Vide de tota ista questione Conimbricenses, Rubium, Complutenses etc., apud quos alie quoque controversiæ legi possunt.

(2) *De Princip.*, part. 2, num. 27.

(3) Vide cl. Palmieri, *Cosmol.*, thes. 11, part. 4.^a.

(4) Ita Benedict. Pererius (p. cit. lib. 13, cap. 1) et Massius, aliique apud Complut. (loc. cit. q. 3, n. 24).

Alii e converso illum esse absolutam aliquam entitatem a subjecto ac termino tamquam rem a re distinctam arbitrantur (1). Aliter tamen decernendum est cum communissima DD. sententia.

284. PROPOSITIO. **Motus tum a mobili tum a termino ad quem ex ipsa natura rei distinguitur, non tamen tamquam res a re, sed tamquam modus a re modificata.**

Probatur prima pars. Ea non solum ratione, sed ex ipsa rei natura distinguuntur, quæ realiter separari queunt. Atqui sic se habent motus ac mobile. Nam subjectum existit nondum existente motu, et vicissim augeri motus, minui, diversissime variari, ac cessare penitus potest, corpore prorsus in sua entitate immutato permanente. Id quod exemplis passim occurrentibus compertum omnibus esse debet.

Motus
differt a mobili

Paobatur secunda pars 1.^o eodem argumento. Potest namque terminus manere, ac porro manet, finito motu: hic enim sistit omnino, ubi mobile terminum formamque, ad quam movebatur, assecutum est. Atqui nihil potest durare, ac perseverare, pereunte aliquo, cum quo re identificatur. Ergo. 2.^o Motus est entitas successiva, terminus autem per motum obtentus est permanens non modo in *facto esse*, sed etiam in ipso *feri*. Atqui nihil potest esse simul realiter successivum et realiter permanens. Ergo... (2).

et termino

Tertia pars prob. 1.^o Nam sufficit hæc distinctio ad ea omnia explicanda, ob quæ in duabus prioribus partibus realium motus cum mobili ac termino identitatem respicimus. 2.^o Signum et character modalis distinctionis est non mutua duorum separabilitas ac tenuissima entitas alterutrius. Atqui motus tam tenuem habet realitatem, ut nequeat existere extra mobile (3).

distinctione
modali.

SOLVUNTUR DIFFICULTATES.

285. Objic 1.^o Motus est continuata successiva existentia corporis in diversis locis. Atqui motus neque quatenus

(1) Ita Aureolus et alii apud Conimbric. (3.^o *Phys.*, c. 2, q. 3, a. 1).

(2) Vide Conimbric. (loc. cit. art. 2, *concl.*, 1.^a 2.^a part.), et Rub. (*Physic. quest.* 4).

(3) Vide Suar. disp. *Met* 49, sect. 2, num. 5.

est existentia, neque quatenus est successivus, est res a mobili distincta.

Resp. neg. Major. Etenim motus localis non est existentia successiva corporis, sed acquisitio successiva praesentiae in diversis locis. Iam praesentia localis et ubicatio, ut ostensum in *Ontologia* est (1), modus quidam est, et multo magis (2) adhuc acquisitio illa loci, quae physica et realissima est actio, ut mox videbimus.

Instabis 1.^o Posita corporis existentia diversis in locis, jam intelligitur motus. Atqui existentia corporis in diversis locis nequit re ab ipso corpore distingui.

Resp. dist. Major. Et hoc ipsum quod est existere vel transire corpus per diversa loca, aliquid praeter existentiam corporis importat, *conc.*; secus, *neg.* Si enim corpus moveri et existere in diversis locis nihil est praeter existentiam, omne corpus existens moveretur, et existeret in diversis locis. Et *neg.* etiam Minor.

Instabis 2.^o Ut mobile moveri localiter censeatur, sufficit, ut diversa successive spatia connotet. Atqui haec diversa spatia connotare potest per suammet entitatem absque ulla superaddita realitate.

Resp. dist. Maj. Si haec connotatio procedat ex interna aliqua forma, quae corpori accedat, *conc.*; secus, *neg.* Et *neg.* Minor. Corpus enim moveri est realis denominatio, quae ipsi nec ante initium nec post finem motus convenit. Nova vero realisque denominatio advenire corpori non potest absque ulla reali mutatione, quae in ipso contingat, aut in alia re, unde talis denominatio in ipsum derivet. Jam corpus non dicitur moveri ex ulla mutatione, quae in spatio ipso contingat. Ergo reliquum est, ut ea mutatio in ipso corpore, dum a loco in locum movetur, fiat. Itaque ideo corpus nova spatia connotat, quia motu ipso modificatur.

Objic. 2.^o Haec realitas, in qua motus consistere dicitur, vel movetur et ipsa, vel non movetur. Si movetur, non certe

(1) Vide num. 373, pag. 1066 seqq.

(2) Multo, inquam, magis, quia sunt nonnulli, qui quamquam negent ubicationem esse modum rei intrinsicum, motum tamen localem in modo reponendum esse arbitrantur.

per aliam realitatem, ne eamus in infinitum. Ergo res moveri potest sine realitate superaddita. Si autem non movetur, ergo non mutat locum. At quomodo non mutet locum, quandoquidem movetur ipsum mobile, cui dicitur a nobis motus inhaerere?

Resp. conc. Major. et eligo primum membrum. *Conc.* primum membrum Minoris; et *distinguo* illatum. Ergo res moveri potest sine realitate superaddita, si res illa seipsa determinata est ad motum, nec sine motu possit esse, *conc.*; si non sit ad motum per se ipsam determinata, possitque absque motu perseverare, *neg.*

Motui enim essentiale, est moveri, cum sit ipsum moveri, corpori autem non est essentiale, nec ullo modo necessarium, moveri. Nos ergo non negamus nihil esse, quod seipso moveri nequit, sed contendimus, et probavimus, corpus absque realitate superaddita minime moveri.

Objic. 3.^o Aristoteles ac S. Thomas (1) docent motum non esse praeter res, id est praeter genera rerum. Atqui haec ostendere videntur motum identificari cum ipso termino. Ergo...

Resp. neg. Minor. Angelicus enim, ut patet ex contextu, non aliud voluit, nisi hoc, nimirum motum non constitutere speciale aliquod praedicamentum seu genus rerum, sed ad aliquod ex vulgatis rerum generibus esse revocandum. Si S. Thomas adversariorum sententiam tenuisset, quomodo scripsisset, motum in eodem genere esse cum suo termino, *sed non quidem ita, quod motus, qui est ad qualitatem, sit species qualitatis, sed per reductionem?* (2) Adde, quod idem S. Doctor alibi explicat, ad rationem motus requiri non solum, quod sit actus imperfectus, sed praeterea ut intelligamus ipsum quasi medium inter duo, quorum praecedens comparatur ad ipsum, sicut potentia ad actum..., consequens vero comparatur ad ipsum, sicut perfectum ad imperfectum vel actus ad potentiam (3). Tandem cum explicat

(1) Vide S. Thom. (3.^a *Physic.* lect. 1, paragr. d), et Arist. (ib. *Cfr.* 11 *Metaph.* lect. 9, paragr. a).

(2) Lib. 5.^a, lect. 3 initio.

(3) Ib. lib. 3, lect. 5, paragr. 1, versus fin.

qualisnam sit actus motus, ait ipsum non esse actum, per quem mobile actuatur, secundum quod erat in potentia ad terminum, quia *dum movetur, adhuc remanet in potentia ad terminum motus, sed solum per motum reducitur aliquid in actum de illa potentia, quæ significatur, cum dicitur aliquid esse mobile, idest polens moveri*. Unde sequitur motum esse actum quemdam medium inter mobile et terminum. (1) Fateor tamen Aquinatem hanc alibi scripsisse sententiam, quæ magis adversariis videtur favere: *Ipse actus imperfectus caloris in calefactibili existens, est motus* (2).

Objic. 4.^o Motus est formaliter via ad formam et ipsum fieri formæ. Atqui forma in fieri non distinguitur ab eadem in facto esse, cum idipsum quod fit, deinceps in esse permaneat. Ergo...

Resp. nego. Major. Aliud enim est forma et aliud fluxus seu fieri formæ.

Objic. 5.^o Si motus ac terminus ejus realiter distinguantur, mobile in omni motu duplicem subit mutationem, alteram ab actu termini, alteram ab actu ipsius motus, quos in se recipit. Hoc vero incredibile videtur.

Resp. neg. Maj. Nam licet duplicem actum recipiat mobile, unica tamen mutatione mutatur, et uterque ille actus unicam efficit formaliter mutationem, motus quidem ut quo, terminus autem ut quod. Præterquam quod mutatio solum existit, dum motus seu moveri perdurat, nam cum terminus adest, mobile jam non mutatur, sed mutatum est. Ergo terminus seipso nequit novam gignere distinctamque mutationem, sed solummodo terminat eam, quæ motu formaliter est inducta in mobile (3).

Objic. 6.^o Si motus esset realitas aliqua a termino et subjecto distincta, deberet et ipse novo alio motu atque actione produci. Atqui id processum invehit in infinitum.

(1) Vide S. Thom. *Metaphys.* lib. 11, lect. 9, paragr. c. Cfr. *Physicor.* lib. 3, lect. 3 initio.

(2) S. Thom. *Physicor.* lib. 3, lect. 2 initio.

(3) Vide Rubium (loc. cit.), et Complutenses, et Pontium (*Integer Philos. cursus ad mentem Scoti*, pars 2.^a lib. 2, disp. 13, q. 2, conclus. 2.^a).

Resp. dist. Major. Si foret entitas aliqua substantialis aut accidentalis absoluta, *conc.*: si sit modalis dumtaxat entitas, et quidem realiter identica cum ipsa actione terminum producente, *neg.* Ut enim mox ostendemus, motus re non distinguitur ab actione et passione; actio porro non eget alia actione, a qua producatur, quia est productio formalis sui ac termini (1)

ARTICULUS III.

An et quomodo distinguantur motus, actio et passio.

286. Ex hactenus dictis forte cuipiam ea subit mentem cogitatio, motum non nisi nomine vel certe ratione sola discrepare ab actione et passione. Et certe dubitari nequit, quin magna intercedat inter hæc affinitas: primo enim motus, cum sit actus a movente procedens, arcissimo vinculo connectatur, oportet, cum actione, sine qua nihil reale fieri ac profluere a movente potest. Deinde cum motus sit actus in mobili receptus, ipsaque termini seu formæ acquisitio in subjecto, quod moveri dicitur; aut est ipsa passio aut certe aliquid cum passione copulatum. Quærimus itaque num, sicut in *Ontologia* ostendimus (2), actionem passionemque re identicas et ratione sola diversas esse, idem nunc quoque dicendum sit de motu respectu actionis et passionis. Qua de re, ut omittam eorum sententiam, qui motum putarunt se habere instar generis superioris respectu actionis: id quod communiter rejicitur, et si verum foret, eo ipso actio et

Varie
sententiæ.

(1) Unum hic notatum velim, nonnullos priscos auctores, ut Toletum (in 7.^a *Physic.* quest. 7) et Conimbricenses, (loc. cit.), cum negant *realem* motus distinctionem, quamquam nobis adversari, videantur, re tamen vera nostram tueri sententiam. Conimbricenses enim *formalem* admittunt distinctionem, docentque motum non ratione solum, sed *essentia* quoque a termino discriminari. Toletus vero ibidem, in argumentorum solutione, scribit motum natura præcedere terminum. Qui autem possit aliquid natura seipsum præcedere? Itaque cum hi gravissimi Philosophi motum inter ac terminum *reale* discrimen negarunt, distinctionem *realem* majorem intellexisse censendi sunt.

(2) Vide *Ontolog.* num. 353, pag. 1031 seqq.

passio desinerent esse summa genera seu prædicamenta (1); sunt viri graves, qui realem distinctionem inducant non solum inter actionem et passionem, sed etiam inter has easdem et motum. Ita Scotistæ, ut videri potest apud Pontium (2) et Matrium (3). Alii contendunt admittendam esse inter hæc distinctionem modalem, quæ est sententia Thomistarum (4). Remque sic explicant, motum esse subjectum, in quo actio et passio, recipiantur immediate. Unde quotiescumque tria hæc reperiantur, actio, passio et motus; actio et passio non immediate inhærent substantiæ, quæ movetur, sed motui, et hoc mediante, substantiæ, fere sicut alia accidentia inhærent substantiæ media quantitate (5). Alii vero contendunt nullam inesse realem distinctionem, sed solum rationis ratiocinatæ. Hæc est opinio satis communis inter nostros scriptores. Quin etiam nonnulli ne distinctionem quidem rationis ratiocinatæ volunt agnoscere (6).

Status
questionis.

Ante resolutionem unum notandum probe est, non omnem actionem esse cum motu, quemadmodum constat in creatione, quæ nec passionem habet nec motum. Itemque non omnis actio etiam passioni admixta proprie motus est: actus intentionales actiones sunt et passionem, non autem motus, nisi velimus improprie loqui. Sed e converso ubicumque adest motus, adest quoque actio et passio. Quæstio itaque agitur circa illas actiones et passionem, quæ cum motu fiunt.

(1) Vide Complutenses (loc. cit. disp. 17, quæst. 1).

(2) *Cursus ad mentem Scoti*, t. 2, lib. 3, disp. 13, q. 2, *concl.* 3.^a, num. 20.

(3) *Physic.* disp. 15, quæst. 3, n. 21 seqq.

(4) Vide Joann. a S. Thoma (*Physic.* quæst. 14, art. 2), Complutenses (ibid. disp. 17, quæst. 2), Card. Aguirre (*Physic.* disp. 19, sect. 3).

(5) Complut. (ib. quæst. 3, n. 22), Joann. a S. Thoma (loc. cit.). Cfr. apud Suarez (disp. *Metaph.* 59, sect. 2, n. 3).

(6) Vide v. g. P. Petr. Hurt. (*Physic.* disp. 11, sect. 3), Carleton Compton (*Physic.* disp. 49, sect. 3). Ipse etiam Suarez (ibid. num. 4, seqq.) inclinatur in eandem sententiam, quantum respicit passionem et motum: quamquam mox (a n. 14) amplectitur tandem distinctionem rationis.

287. PROPOSITIO. Motus aliquo modo distinguitur ab actione et passione; non tamen realiter, sed solum ratione ratiocinatæ.

Prima pars non eget probatione, quia ex diversis harum rerum definitionibus nominibusque constat aliquod intercedere discrimen, sive reale illud sit sive rationis, et sive rationis ratiocinatæ sive rationis ratiocinantis.

Motus
aliquo modo
distinguitur ab
actione
et passione;

Probatur ergo secunda pars. 1.^o ex tertia definitione communiter admissa, secundum quam motus est *actus ejus, quod facere, et ejus, quod pati potest, quatenus tale est*, vel actus agentis et patientis. Atqui actus, quo agens formaliter dicitur agere est actio, et actus, quo passum formaliter pati dicitur, est passio. Ergo motus est actio et passio, a quibus proinde nequit realiter secerni.

non tamen
realiter.

Prob. 2.^o Nulla est necessitas distinctionis realis inter motum, actionem et passionem. Ergo non est admittenda. **Antecedens patet.** Etenim eadem entitas potest esse via ad terminum, et actus ab agente manans, inque mobili receptus: tres enim hæc rationes nullam involvunt pugnam. Atqui via ad terminum est motus, actus ille ab agente profectus et ad formam aliquam terminatus actio est, passio vero idem actus prout in passo receptus.

Prob. 3.^o Motus est actio et passio. Ergo hæc non distinguuntur. **Antecedens probatur** quoad 1.^{am} partem. Nam motus est id, vi cuius movens movere dicitur. Sed movere est efficere aliquid. Ergo motus est formalitas, qua efficiens aliquid efficit; id quod significatur *actionis* nomine. Præterea si motus non est ipsa realiter actio agentis, fit alia actio, nam certe est aliquid fluens a movente. Id vero nequit admitti. Si enim movens motum immediate gignere non potest, idem dicendum erit de quavis actione. Itaque ad quamvis actionem eliciendam, alia egebit actione, et sic abibimus in infinitum. Probatur **antecedens** quoad 2.^{am} partem. Et primo quidem, quia passio idem est realiter cum actione, ut ostensum in *Ontologia* est. Ergo et cum motu. Præterea motus recipitur in passo, et est formalis acquisitio termini seu formæ. Atqui hæc passio quædam est.

Prob. 4.^o Tandem motus, actio et passio subjectantur in passo. Si ergo realiter distinguuntur, mobile in quovis motu tres actus suscipit, totidemque subicitur mutationibus. **Antecedens**, quantum spectat ad motum, probabitur inferius: quantum vero ad actionem et passionem, probatum supponimus in *Ontologia*.

sed sola ratione.

Probatur tertia pars propositionis. Ut patet ex definitionibus ac declarationibus in *Ontologia* traditis, actio exprimit egressum actus ab agente, passio receptionem ejusdem in subjecto, motus vero rationem *viae ad terminum* seu *fieri* formæ ab agente manantis et subjecto unitæ. Atqui hæc sunt diversæ expressiones mentales unius ejusdemque rei. Hinc est, quod licet in re ipsa illa entitas, quæ actio et passio et motus est, respectum dicat tum ad agens, tum ad passum, tum ad terminum, cujus est *via et fieri*; tamen concepta formaliter ut actio, non respicit nisi causam activam, nec concepta ut passio, nisi subjectum seu passum, nec demum concepta formaliter ut motus, nisi terminum seu formam, quæ producitur. Et ita idem ipse fluxus ut est *ab*, dicitur actio, tamquam *actus hujus ab hoc*; ut vero est *in*, vocatur passio, tamquam *actus hujus in hoc*; ut demum tendit versus terminum ac formam perfectam, nominatur motus, tamquam actus nondum perfectus, ad complementum suum procedens.

Mens
Aristotelis
ac S. Thomæ.

Atque hæc videtur esse omnino mens Aristotelis ac S. Thomæ. Solvit (Aristoteles) *aliud inconveniens, scilicet quod idem actus esset duorum: et dicit, quod nihil prohibet unum actum esse duorum, ita quod non sit unus et idem motus secundum rationem, sed unus secundum rem, ut dictum est supra* (1): *quia eadem est distantia duorum ad unum et unius ad duo, et ejus quod est in potentia ad agens, et e contra. Sic enim idem actus secundum rem est duorum secundum diversam rationem, agentis quidem, secundum quod est ab eo, patientis autem, secundum quod est in ipso* (2). Et statim ait S. Doctor, hæc non esse identica *sicut ea, quorum ratio est una, ut tunica et indumentum* (quæ solum distinguuntur ratione ratiocinante), *sed sicut ea, quæ sunt idem subjecto et*

(1) Nempè *Physicor.* lib. 3, lect. 5, paragr. f; et lect. 4, paragr. h, i.
(2) 3.^o *Physic.* lect. 5, paragr. g. Adde ib. lect. 4, paragr. h, i; et 11.^o *Metaph.* lect. 9, paragr. m. seqq.; et 1. p. quæst. 45, art. 2, ad 2.^{am}

diversa secundum rationem, ut via a Thebis ad Athenas, et ab Athenis ad Thebas. Et ad argumentum sibi objectum ex eo, quod actio et passio diversa constituent prædicamenta, ideoque realem videantur postulare distinctionem, ita respondet: *Sed sciendum, quod prædicamenta diversificantur secundum diversos modos prædicandi Unde idem, secundum quod diversimode de diversis prædicatur, ad diversa prædicamenta pertinet... Similiter motus, secundum quod prædicatur de subjecto, in quo est, constituit prædicamentum passionis; secundum autem quod prædicatur de eo, a quo est, constituit prædicamentum actionis* (1). Hæc adeo videntur manifesta, ut capere non possim, quomodo Complutenses elicere exinde potuerint distinctionem *formalem ex natura rei* atque independentem ab intellectus consideratione. Neque etiam componi omnino possunt cum distinctione modalis, qua Joannes a S. Thoma aliique delectantur, nisi forte aliter, ac nos, modalem distinctionem intelligant (2).

288. **Objic. 1.^o** Movere formaliter est agere, moveri autem formaliter est pati. Ergo ne formalis quidem distinctio est admittenda motum inter et actionem ac passionem.

Quædam
difficultates
dissipatæ.

Resp. dist. antec. Si *movere* et *moveri* sumantur inadæquate ac præcisive, prout significant motum, *neg.*: si sumantur *adæquate*, prout *movere* significat *causam efficere motum*, et *moveri* significat *subjectum recipere motum, conc.*

Instabis. Motus formaliter includit conceptum *procedentis ab aliquo*, cum sit ens dependens, et etiam conceptum *recepti in aliquo*, quia est accidens. Ergo formaliter est actio et passio.

Resp. similiter distinguendo antecedens. Si materialiter et complete sumatur, prout est in re identificatus cum actione et passione, *conc.*: si inadæquate ac præcisive et formaliter, *nego.* Resque satis, opinor, in probationibus explicata remanet.

Objic. 2.^o Subjectum vi solius actionis et passionis aliter se habere concipitur. Atqui si aliter se habet, movetur. Ergo

(1) 11.^o *Metaph.* lect. 9, paragr. p.

(2) Cfr. quæ in *Ontologia* disputata sunt de reali actionis et passionis identitate, num. 353, pag. 1031 seqq.